

Tributa multa olim iuste exigebantur, quæ nunc iniuste exiguntur, l. 1. cap. 5. f. 265. c. 2.  
Tributa per legem iustam statuta solvere nolentes, peccant, & tenentur ad restitutionem, l. 1. cap. 10. f. 300. c. 1. & per seqq. columnas.  
Tributa Principibus ex lege divina debentur, probatur multis rationibus, ibid. f. 301. c. 1. & deinceps.  
Tributa quæ dicantur iusta, & quæ iniusta; vide pagin. ibid. f. 302. c. 1. & seqq.

## V

Vendentes frumentum, aut aliam rem ultra pretium à lege taxatum, peccant mortaliter, & obligantur restitutioni, l. 1. cap. 11. f. 310. c. 2.  
Vendere rem suam homo potest aliquando cogi, ibid. f. 312. c. 1.  
Verba præceptum explicantia quæ sunt, l. 1. cap. 5. f. 267. c. 1.  
Verba importantia sententiam latam ante Judicis sententiam, l. 2. cap. 6. f. 345. c. 1. & deinceps.  
Vizcaya quam habet consuetudinem in testamentis con-

dendis, l. 2. cap. 11. f. 392. c. 2.  
Voluntatis nomen sæpe ponitur ad significandas operationes ipsius voluntatis, l. 1. cap. 1. f. 240. c. 1.  
Voluntatem Principis esse pro lege habendam, quomodo debeat intelligi, l. 1. cap. 5. f. 264. c. 1. in fine.  
Vorum potest esse de re alias debita, l. 1. cap. 10. f. 297. c. 2.  
Uxores vendebantur olim apud Græcos, l. 1. cap. 2. f. 245. c. 2.  
Uxor Loth propter peccatum inobedientiæ conversa fuit in statuam, l. 1. cap. 4. f. 257. c. 2.  
Uxor tenetur reddere debitum marito, quamvis ille ad solam explendam libidinem exigat, l. 1. cap. 5. f. 262. c. 2.  
Uxor quæ post mortem mariti non caste vivit, tenetur restituere bona quæ consumpsit, si maritus hac conditione suorum bonorum usufructuariam reliquit, l. 2. cap. 11. f. 399. c. 2.  
Uxores communes apud Lacedæmones contra legem naturalem, l. 2. cap. 14. f. 418. c. 1.  
Uxores Augilarum nocte qua nubunt, patent strupo omnium, ibidem.

## FINIS.



✠

FRATRIS ALFONSI  
A CASTRO  
ZAMORENSIS,  
ORDINIS MINORUM,  
REGULARIS OBSERVANTIÆ  
IN PSALMUM,  
MISERERE MEI DEUS  
SECUNDUM MAGNAM  
MISERICORDIAM TUAM.  
HOMILIAE VIGINTIQUINQUE  
*ad populum Salmanticensem habitæ.*



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA Blassi ROMAN:

Anno M.DCC.LXXIII.



Psalmi quinquagesimi titulus indicat, colligitur, ut non juxta rationem ætatis suæ, Psalmus hic quinquagesimo sic ordine locatus. Reliquum est ergo, ut juxta mysticam aliquam significationem factum esse credamus. Eam obsecro nunc audire. Psalmus iste, ut omnibus apertissimum est, ad divinam misericordiam implorandam, & remissionem peccatorum obtinendam compositus est. At quinquagesimus numerus remissioni peccatorum multis rationibus est consecratus. Nam lex quinquagesimo die ab exitu ab Ægypto data est. (Exod. 19.) A profectioe nesci quidem filiorum Israel ex Ægypto, quadragesimo & octavo die per Mosem ablui jubentur, ut biduo purificati, tertia die parati essent ad legem accipiendam. Quæ ablutio nihil aliud significat, quam remissionem factam in quinquagesimo die, ut purificati legem acciperent. Juxta quam, præteritis dimissis, opera quæ in posterum facerent, examinarentur. Quinquagesimum etiam annum, præcepit Deus vocari remissionem, sic enim ait. (Lev. 25.) Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est enim jubilæus. Quibus verbis aperte satis ostendit, quod à remissione jubilæus dicatur. Nam cum dixerat, vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ut causam hujus appellacionis exprimeret, continuo subjunxit, dicens. Ipse est enim jubilæus. Quis alius verior & melior jubilæus quam vera penitentia? Per hanc enim omnia peccata condonantur. Per hanc omne debitum remittitur, non solum uni aut alteri, sed cunctis habitatoribus terræ. Jubilæus anno quinquagesimo celebrabatur, & remissio peccatorum per infusionem gratiæ spiritualis habetur. Septenario etenim numero gratia septiformis spiritus designatur. Septem autem si duces per septem, sunt quadraginta & novem, quem numerum sanctorum continuo sequitur quinquagesimus annus qui jubilæus dicitur, quia per infusionem gratiæ Spiritus Sancti, peccata omnia delentur. Ut autem quæ diximus plenius firmemus, videamus quam recte cætera omnia quæ in jubileo fiebant, congruant penitentia, ut merito dixisse censeamus, verum jubilæum esse penitentiam. In anno jubilæi, terra non serebatur, neque illa quæ sponte terra proferebat, colligi permittebantur. Populus vacabat convivii: clangebat tubis. Servus Hebræus manumittebatur. Omnis possessio revertebatur ad dominum suum. Terra non seritur, quando caro nostra à cibis & potibus, quibus antea indulgebat, abstinet. Caro enim nostra, propter peccatum hanc suscepit maledictionem: (Gen. 3.) ut cum coluerimus eam, spinas & tribulos germinet nobis. Serimus hanc terram, quando in stomachum cibos trajicimus. Rigamus illam, cum infundimus potum. Mollimus terram, cum corpus nostrum blandis & delicatis vestibus tegimus. Terra autem sic exulta, spinas & tribulos germinat. Et caro nostra delicate nutrita, tentationes acutissimas ex se producit, quæ animam perforant. Quinquagesimo anno terra non seritur, quoniam qui vere penitet, jejuniis carnem suam macerat, ne ad similia peccata animam iterum impellat. Quæ terra, hoc est caro nostra, sponte profert, nihilo meliora sunt, & ideo nunquam colligenda ab illo, qui vere penitet. Sensus enim, & cogitatio, & motus carnis sibi relicte, semper in malum sunt. (Gen. 8.) Populus convivii vacat: quoniam intellectus & voluntas alterius se invitant. Nam intellectus agnosceus peccati turpitudinem, invitat voluntatem ad odium. Nullus est enim, qui peccati foeditatem agnosceus, non resiliat à malo. Voluntas iterum cum peccatum oderit, intellectum illumi-

nat, ut clarius peccati malitiam agnoscat. Ex cognitio-nem enim augetur amor, & ex amore cognitio, quemadmodum ex luce procedit calor, & ex calore lux. In jubileo jubetur populo, ut tubis clangat mense septimo. Clangor iste, non est adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vox letantium erit, consummatam designans victoriam. Septimus mensis, gratiam designat Spiritus Sancti. Clangunt ergo bucina mense septimo, quia non carnaliter, sed spiritaliter lætatur, qui penitet. Dolet enim, quia peccavit: lætatur, quia se peccasse poenituit. Dolet, quia vitii olim succubuit: lætatur, quia postea eadem per poenitentiam devicit. De peccato igitur dolet, de poenitentia vero lætatur. Cur autem non lætabitur ipse peccator de sua poenitentia, cum in cælo fiat gaudium magnum super ipsomet poenitentiam agente? (Luc. 15.) Si enim angeli lætantur de profectu alieno, cur non lætabitur poenitens de suo? Clangit ergo tubis propter illam, quam de vitiiis, quibus antecesserat, habuit victoriam. In jubileo possessio omnis ante distracta ad dominum suum revertitur. Possessio nostra est illa felicitas, ad quam conditi à Deo sumus. Nam & patria nostra dicta est. Ipsa est enim possessio, à qua primus parens noster ejectus est. Ad hanc possessionem revertuntur omnes, quia melius mataverunt mentem suam. Agite poenitentiam, inquit Christus Salvator noster, (Matth. 4.) & appropinquavit regnum cælorum. Possessio etiam nostra est quodvis bonum opus, quo vitam illam æternam promeriti possimus. Reliqua autem omnia, nostra dicenda non sunt; eo quod illa quocumque liberit, nobiscum ferre non possumus. Opera autem bona, quoniam nunquam nos deserunt, (Apo. 1.) sed ex hac vita migrantes semper nos sequuntur & comitantur, merito possessionem nostram dicere possumus. Verum hæc possessio, per peccatum amittitur, immo pro peccati momentanea delectatione commutatur. Si enim justus averterit se à justitia sua, ait Dominus Deus, (Eze. 18.) & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur. Ecce vides possessionem distractam. Audi & vide quo pacto per poenitentiam, omnis hæc possessio ad Dominum suum revertitur. Reddam, inquit Dominus, (Joel. 2.) vobis annos quas comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca. Ecce à quam minutis animalibus, tota nostra possessio consumpta est: omnes nostrorum operum fructus depasti. Dominus autem promittit, si poeniterimus, se redditurum nobis omnes fructus quos illa comederunt. Per hæc quatuor animalia beatus Hieronymus interpretatur quatuor animi perturbationes, à quibus omnes animarum utiles fructus devorantur. Duæ præsentis, videlicet, læticia & tristitia sibi contrariæ. Duæ futuræ, contra se invicem pugnant, spes scilicet, & metus. Hæc quatuor passionibus, quasi quatuor rotis, omnis nostræ vitæ decursus volvitur. Aut enim tristis sumus & mœrore conficimur: aut è contra gaudemus, gestimusque læticia, & bona nostra moderanter ferre non possumus: viri autem justus & foris, nec adversis deiecitur, nec prosperis sublevatur, sed ubique modum tenet. Sunt alia, quæ ex futuris commovent, metus scilicet & spes, aut enim adversa timemus, aut prospera præstolamur. Hæc dum supra modum nos exultare faciunt: & illa plusquam decet nos timidos reddunt, nostræ mentis statum evertunt. Possimus etiam hoc aliter interpretari, ita, ut per hæc quatuor minuta animalia, quatuor vitia significentur: quæ totum mundum devastant. Eruca toto corpore repens luxuriam designat. Locusta superbiam figurat, quoniam locu-

cuta pedibus ambulare nescit, & cum alas non habeat, volare nititur, quapropter iuvenes saltus facit, ut vel sic volare ab aliis quamlibet deceps credatur. Tanta est locustarum impudens ambitio. Tales nimirum sunt superbi, qui cum virtutes non habeant quæ illos in alium sublevent, nituntur tamen ambulare in magnis, & in mirabilibus super se. (Psal. 130.) Ambiant primas cathedras, & cupiunt ab omnibus vocari Rabbi. (Matth. 23.) Gulam bruchus significat, quoniam animal hoc cum sit minutum, magnæ voracitatis esse cognoscitur, quod venter illius satis aperte indicat. Cum non parvo sit corpore, ventrem habere adeo magnum, ut nihil aliud præter ventrem in suo corpore illum habere censeas. Sic etiam illi quorum Deus venter est, (Phil. 3.) tantum gulæ impendunt & servant: ut nihil aliud curent, nil aliud cogitent. Erugo demque avaritiam denotat: quod vel ex eo suaderi potest, quod ærugo ipsi insidet metallis, illaque depascit. Avaritia autem in rebus illis tota versatur, quas ærugo & tinea demolitur. Quatuor itaque hæc animalia, omnes terræ fructus comedunt, & quatuor præfata vitia omnes bonorum operum fruges rodunt. Si quis tamen male acturum poenituerit, omnia bona, quæ ab istis peccatis fuerunt consumpta, per poenitentiam recuperabit: juxta promissionem Dei dicens. (Joel. 2.) Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, rubigo, & eruca. Et hoc est quod de jubilæi virtute sub aliis verbis diximus, omnem videlicet possessionem, quæ ante jubilæum distracta fuerat, in jubilæo ad dominum suum reverti. Et hoc idem in poenitentia contingit: quoniam bona omnia, quæ per peccatum amissimus, vera postmodum succedente poenitentia, recuperabimus. Ecce ergo quam sint similia jubilæus, & poenitentia: propter quod unum, nomine alterius, merito significari potest. Cum ergo quinquagesimus annus fuerit à Deo remissioni consecratus, oportuit, ut Psalmus iste, qui ad remissionem à Deo implorandam compositus erat, quinquagesimo etiam locutare ordine: ut talem haberet sedem, qualem condicio sua requirebat. Nam gestorum ordini, ut diximus, Psalmorum ordo non condit: quia non tam ordinem ordinis, quam mysterium ordinis gestis voluit convenire, & ita Psalmus iste quinquagesimus obtinuit locum, ut Psalmus remissionis, numerum remissionis haberet. Si ergo aliquis ad verum jubilæum pervenire cupit, hunc salutarem Psalmum corde magis quam ore dicat, & tunc verum jubilæum faciet, Deo gratias agens pro reddita sibi suorum peccatorum venia: omnem, quam perdidit possessionem recuperabit: quia pristina gratiæ restituetur, & gloriam tandem possidebit æternam, quam nobis prætare dignetur Jesus Christus filius Dei: qui cum patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA II.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

**S**olent, qui acerbissimo dolore se affligunt, ut nulla jam ad illum tolerandum suppetant vires, malorum, quæ sustinent, enarrationem prætereuntes, ad solum auxilium implorandum se convertere, ne forte ea ipsa malorum suorum enarratio auxilium moram trahens, illum diutius in doloris tolerantia perferere cogat. Sic mihi nunc David fecisse videtur: qui postquam à peccati lethargo per vocem Nathan Prophetae fuit suscitatus, into-

lerabilem vulnere dolorem tunc sentire incipiens, quem antea somno impeditus sentire non poterat: continuo nulla malorum quæ sustinebat facta mentione, divinam implorat misericordiam dicens: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Verum etiam mala quæ sustinet enarrare omisit: satis tamen aperte ipsa supplicatio illa esse magna indicavit. Nam qui misericordiam petit: miseriam se habere fatetur: quoniam misericordia solis miseriam est necessaria. Nullus est enim adeo demens, ut felicium & beatorum misereatur. Si quis non patitur, qui fieri potest, ut aliqui ei compatiatur? Tolle famem, & non est cui porrigas panem. Tolle sitim, & non est cui exhibeas potum. Tolle nuditatem, & non est cui miseriaris cooperiens illum. Tolle denique omnem miseriam & non erit cui præstes misericordiam, sicut sublevis coloribus & luce, non erit quid hic corporeus oculus intneri possit. Quia ergo misericordia circa solam miseriam versatur, consequens est, ut qui misericordiam petit, nisi demens ille sit, miseriam se habere cognoscat. Nisi ergo qui magnam implorat misericordiam: magnam miseriam se habere fatetur. Quapropter Davidis & cæterorum omnium peccatorum miseriam nunc prius proderet oportet: ut pateat omnibus quam sit illis necessaria divina misericordia. Nam pauperes elemosynam petentes vilissimas induunt vestes: easque partes corporis denudant, quæ vulnere aliquo sunt affectæ: ut sic facilius divitum animos ad misericordiam flectere valeant. Ad hunc modum ego nunc faciendum censeo, ut scilicet magnam peccatoris miseriam ostendamus, quo magis pateat illum divina egere misericordia, & quanta cum ratione David, qui se olim peccasse jam cognoscit, eam nunc imploret. Quanta sit peccatoris miseria, Deus apertissime expressit: cum peccatori cuidam, qui se divitem, & nullius egentem iactabat, dixit. *Nescis quia miser es, & miserabilis, pauper, cæcus, & nudus.* Quibus verbis triplicem peccatoris miseriam expressit. Paupertatem scilicet, cæcitatem, & nuditatem: quas omnes sigillatim explicare oportet. Paupertatem quidem vel potius inopiam miseriam dixit juxta mundi opinionem: qui beatum dicit populum, cui divitiæ affluunt. Pauperes contemptibiles homines reddit. Paupertatem risui homines exponit: & hanc extremam esse miseriam censuit ille, qui dixit.

*Nil habet infelix paupertas durius in se,*

*Quam quod ridiculos homines facit.* (Juvenalis. Sat. 3.)

non Paupertas (quod omnium gravissimum est) ad multa vitia sæpissime cogit. Multum denique miserabilem esse pauperis conditionem, vel ex eo constare potest, quod quocumque se veriat, miseriam fugere non potest: quoniam si petit, pudore confunditur, si non petit, egestate consumitur. Quanta autem sit peccatoris paupertas, nemo plene scire potest, nisi qui bene sciverit, quæ sint vere divitiæ. Veræ autem divitiæ non sunt, quas ærugo, aut tinea demolitur, aut fures rapere possunt. Illæ enim non faciunt animum, immo magis sitire faciunt: sicut aquæ salis, de quibus quidam egregie dixit.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Terrenæ etiam divitiæ animum inquietant, etiam cum possidentur. Avarus enim eas habens, maxima cum sollicitudine, & diligentia custodit, quas cum gravi labore meminit acquisisse. Ne ergo eas amittat, omnes metuit, omnes habet suspectos, amicos etiam, insuper & seipsum. Ob quam causam Christus servator noster in parabola seminantis (Matth. 13.) eas spinis comparavit: quoniam pun-



salus pendet. Propter quod ego merito censerem, male illos de Rege sensisse, maleque Regis valorem & virtutem trutinasse, qui Davidem Regem censuerunt pro decem millibus computandum: quoniam Rex pro tota republica, cuius est caput (ut ego existimo) computandus venit. Nam illius iudicio res publica regitur: ex illius arbitrio leges populi pendunt, illius exemplo populus sibi mores desumit. (Claudianus.)

Siclicet in vulgus manant exempla regentum.

Utque ducunt lituos, sic mores castra sequuntur.

Quo fit, ut quisquis Regem bene instituerit, is toti republice profuisse dicatur. Quemadmodum qui oculo medetur, omnibus membris, pro quibus ille circumspicit, profexisse merito iudicabit. Ita si quis principis malos mores correxerit, is quodammodo publicus philosophari, & totam temporalem, pro qua Regem sapere atque sollicitum esse oportet, correxisse censetur. Verum est de tota republica bene mereri illum conset, qui Principem aut docendo, aut suadendo reddit bonum: sunt tunc Principes ipsi ferme omnes natura morosi, & intradabiles: quae res optimum quemque virum a principibus adhortandis saepe avocatur, & deterret. Quis est enim qui tractare contendant id, quod tractari recuset? Si in peccatum aliquod Reges labantur, a nemine corripui sustinent, nullam medicantis manum, etiam cum vulnerati fuerint, admittunt. Putant quidem bonam imperii sui portionem deperituras, si aut doctorem, aut monitorem admittant, qui eos virtutibus inservire suadeat. Et ob hanc causam, monitorem quemque tamquam imperii invasorem reformidant, quoniam probro futurum censent, eum, qui omnibus praestit, alicuius, aut iudicio, aut arbitrio subesse.

Longe tamen alium fuisse Regis Davidis genium praesentis psalmi historia testatur. Hic enim cum fuisset a Propheta Nathan de adulterio & homicidio reprehensus, non successit Prophetae, non excusavit culpam, non recusavit poenam: sed culpam humiliter agnoscens, Propheetae correptionem patientissime tulit. In hoc igitur Psalmo, cum David Rex omnibus consulat, praecipue tamen regibus, ut si ab alio quovis homine modestiam & correptionis tolerantiam discere reformidant, a Rege saltem discere non vereantur. Haec igitur praecipua causa fuit, propter quam tibi serenissime & invictissime Princeps hanc quinquagesimi Psalmi qualemcumque expositionem dedicandam censui, ut regium tibi praerem exemplar, quod citra dedecus & ignominiam, immo magna cum gloria & laude imitari possis. Nec quisquam alius erat, cui illa iustius nuncupari poterat, quod tibi: quum nullus alius est (absit praecor omnis adulationis suspitio) qui verius eximias Davidis virtutes amulet, quam tu. Ille enim non nisi contra incircuncisos & populi Dei inimicos bellum movit. Tu, etiam occasione, ut aliter faceres oblata, nunquam nisi adversus christianae religionis hostes bellum hucusque gessisti. Ille septies in die laudes Deo dicebat. Tu non solum laudes Deo septies in die reddis: sed alios, ut id faciant, tuo exemplo sic oraris, ut Basilica tua, magis Dei templum, quam regale palatium censeatur: quoniam (ut audio) adeo celebres laudes intra Basilicam tuam quotidie & stans horis Deo persolvuntur, ac in templis Deo dicatis. Ille Prophetas Dei maxime venerabatur. Tu omnibus doctis viris, praesertim theologis (nam praeter hos, nullos alios hodie Prophetas habemus) benevolentiam & favorem praestas. Nec faves modo, quemadmodum plerisque Principum mos est, qui satis superque se fecisse autumant, si laudantes, & sibi bene optare dicen-

tes, nudam quamdam & sterilem ostenderint benevolentiam: sed, quae tua est magnificentia, magnis officiis muneribus, ut vel aliqua mercedis spe alios ad litterarum studia allicere, (ne dicam) urgere valeas. Huius rei testis est Parisiorum academia, quae tam multos tuis stipendiis quotannis alit. Et haec tua singularis in viros doctos benevolentia, multos animos movit, ut tibi sua opera nuncuparent: quum (ut est in proverbio) boni, non nisi ad bonorum convivia ultro accedant. Hos ego imitatus, etiam indoctorum indoctissimus, tibi hoc opusculum nuncupare decrevi: ut quum seueri non valet, tui saltem nominis umbra protegat. Tu ergo pro tua regia benevolentia illud suscipiens: quod si tibi non displicuisse cognovero, fiet, ut favente Deo, & benevolentia tua urgente, coner aliquid majus & melius tibi olim offerre. Vale.

Ex coenobio Salmanticensi fratrum minorum, quarto Idus Julii. Anno Domini trigentesimo septimo supra millesimum quingentesimum.

TITULUS PSALMI II.

In finem: Psalmus David cum venit ad eum Nathan. Propheta: quando intravit ad Bethabe.

HOMILIA PRIMA.

OMNI orationi & declamationi, necnon etiam epistolae, quae alicuius est momenti, erudit viri, qui rudibus & parum intelligentibus consulere voluerunt, argumentum aliquod praesigere curarunt, quod velut quaedam lux obscuro alicui aedificio superfusa, omnes illius angulos percurrens, tenebras undique pelleret: ut re, de qua sequens differit oratio aut epistola, brevi compendio descripta, status orationis sit legentibus apertior. Hoc enim in omnibus beati Pauli, & in aliis caterorum Apostolorum catholicis epistolis, a quodam viro docto, quisquis ille fuit, factum esse scimus. Nam his omnibus argumenta praefixa sunt, quae brevi compendio, totius epistolae statum indicant. Ad hunc modum in omnibus Psalms, quibus aliquam rem gestam conditi sunt, praesiguntur tituli: qui rem ipsam innuunt, & quasi indice produnt. Quod enim argumentum orationi, aut epistolae: hoc titulus praestat Psalmo. Huius ergo Psalmi quinquagesimi titulus, cum historiam aliquam innuat, a quo totius Psalmi intellectus pendet: opus est, ut eam ob oculos ponamus, & reliquas deinde tituli partes interpretemur: quibus declaratis, via erit ad Psalmi intellectum aperta. Historia autem, cujus titulus meminit, ita habet. David filius Jesse, de tribu Juda, omnium fratrum suorum minimus: cum oves patris sui quotidianus pasceret, talis semper vixit, ut propter eximias ejus virtutes dignus inventus fuerit, qui a Propheta Samuele ex Dei mandato in Regem ungeretur. Deinde propter illustrem illam victoriam, quam habuit de gigante illo, non minus superbia, quam membris corporis maximo, qui toti Israelii exprobrabat, ad singulare certamen fortissimum quemque provocans, in aula Regis Saulis astitit, & gener Regis effectus. Post haec multis in bello fortibus factis, multorum facinorum fama clarescere in populo coepit, & ab eo pro Regis successore habitus est. Quae res, non parvam invidiam ipsi David apud Regem excitavit: ita, ut saepe ab ipso Rege fuerit quaesitus ad mortem. Verum Deus, qui David in Regem elegerat, semper Saulis consilia frustravit: ut David incolumis servaretur: qui pro-

lem,

lem, de cuius stirpe Christus servator noster nasceretur, procreaturus erat. Deus siquidem humani generis redemptionem jam tunc moliebatur. Demum Saule Rege, ejusque filio Jonaha a Philistaeis in bello interfectis, David regni gubernacula suscepit. Qua in re, multas, eaque maximas ostendit virtutes: omnibus sibi subditis aequae prospiciens, recto semper iudicio, & nunquam affectu, regnum administrans: propter quod Deus illius regnum magna ex parte auxit, & stabilivit, hostibus illius videlicet Philistaeis undique fugatis. Verum, ut sunt hominum ingenia semper ad malum prona, aique ideo in quovis opere virtutis parum firma, factum est, ut a virtutis arce postmodum Princeps in vitia maxima rueret. Contigit enim, ut ipso domi manente, Joab pro eo exercitum imperaret, qui tunc Rabba oppidum obsidebat. Quo tempore cum ipso otio indulgeret, & somnis habenas paululum remitteret, deambulans in solario domus suae, vidit inopinato mulierem quamdam pulchram nimis, Bethabae nominatam: quam cum placisset oculis ejus accessit: ac certamque compressit. Rex deinde certior factus illam gravidam esse factam: cernens illi periculum grande imminere a viro, qui tunc pro Regis victoria & fama fideliter in castris militabat: scribit ad Joab belli praefectum, ut Uriam (hoc enim erat nomen mariti Bethabae) ad se mitteret, qui de bello nuntiaret. Venit Urias. Deinde a Rege de rebus belli interrogatus, finitur a Rege in domum abire, hoc sine, ut coeius noctu cum uxore, posset adulterium occultari, & conceptus & partus Uriae ascribi. At Urias noluit ire domum, etiam a Rege rogatus: quoniam indignum dicebat se domicubare, & cum uxore sua delictari, arca Domini existente sub papilionibus, & toto exercitu simul cum duce Joab super faciem terrae manente. Videns autem Rex, quod adhortans & rogans nihil proficeret, aliud majus decrevit committere crimen, ut adulterium occultaret. Artem excogitavit, qua Uriam securus occidat. Litteras per eundem Uriam ad Joab belli ducem mandat: scribens, ut Uriam in bello constituit in loco minus tuto, ubi vehementior & fortior esset hostium imperus, atque illic auxilio suorum destitueretur, & sic percussus, iniret. Factum est ita: ut Rex per epistolam imperavit: & Urias in bello occiditur. Quod cum audisset David, Bethabae Uriae uxorem accessit, & in domum suam introducit, accipiens eam in uxorem. O crudele facinus! O detestandam ingratitude! Non fuit satis esse adulterum, nisi etiam adulterium homicidio confirmaret. Quid non facies caeca libidinis innocenter occidere non dubitas? Nonne cognoscis David, quod magis dignus est Urias, qui a te praemio donetur, quam qui morte plectatur? Mollire certe cor tuum debuisset Uriae fidelitas, simplicitas, confidentia, & zelus adeo fervidas, eo domi cubare nollet, eo quod Arca Domini maneret in papilionibus. Quid in Uria invenis David quod illum morti tradas? Estne crimen, nolle domi suae cubare, & a propria uxore ob Dei reverentiam abstinere? Est forte peccatum, non coire cum uxore, ut adulterium tuum occultet? Mortem quam tu ipse metebaris, inferis innocenti, & de te benemerito. Ille zelus Dei fervet: tu caeca & dira libidine ardes. Ille a propria uxore abstinet: tu alienam quaeris. Ille contra hostes tuos pugnat: tu contra militem tibi fidelissimum & benemeritum dimicas. O diram libidinem! O execrandum impudici amoris furorem, qui benemeritos punis usque ad mortem: fervos fidelissimos tractas ut hostes! Verum iustus Deus non ferens atrocissimum crimen, misit ad David

Natham Prophetam, qui illi Dei nomine minaretur, ultionem denuntiatis a domesticis stupris, a filiorum morte, ab intestinis & pluriquam civilibus bellis. Quo audito, tactus est David dolore cordis intrinsecus: & cogitans unde, & quo dejectus esset: a quo virtutis culmine in qua & quanta vitia prolapsus esset, prorupit in lachrymas: & peccatum suum agnoscentes, ad Dei misericordiam se vertit: illam per hunc salutarem Psalmum implorans, ut precibus & gemitibus, peccati expiationem & pristinae gratiae restitutionem impetrare valeret. Verum hic admonere oportet, ut nullus quamlibet iustus securus vivat, sed semper cadere metuat. Quoniam David, qui ob eximias suas virtutes in Regem a Deo eligitur: & Propheetae munere donatur: qui Saulem hostem: a quo ad mortem quaerebatur cum occidere potuisset non interfecit, sed pepercit: & tamen idem qui tunc hosti pepercit, postea innocenti, & quidem de se benemerito, non parcit. Admonetur etiam peccator, ut propter quaecumque scelera a se commissa, nunquam depondat animum: nunquam de Dei misericordia diffidat: quoniam ecce David peccavit: nec tamen leviter, sed poenitentiam agens, misericordiam, quam petit & in qua speravit, consecutus est. Ad hoc enim scriptura sacra talium virorum peccata commemorat, ut nos alienis periculis caviamus efficiat, Ad hoc etiam eorum poenitentiam & veniam narrat, ut illorum exemplo nos doceat: nunquam de misericordia Dei diffidendum. De statu ergo suo David cadente nemo superbiat: de lapsu etiam suo, David cadente, nemo desperet. Admirabili ergo dispensatione scriptura sacra eodem facto superbos dejicit, quo dejectos sublevar. Unam siquidem rem gestam narravit: & diverso modo superbos ad humilitatem, & dejectos ad spei fiduciam revocavit. O inestimabile novi generis medicamentum, quod premeditando tumentia exiecat: & sublevando aetia humectat. De majorum nos lapsu terruit: sed de reparatione roboravit. Sic quippe semper nos divina misericordia & superbios reprimit, & ne ad desperationem corruamus sulcit. Quia igitur omnes ex hoc Psalmo erudiuntur, iusti ad cautelam, peccatores vero ad spem & fiduciam: hinc est quod tituli initium est: In finem: quia videlicet non pro se solo David hunc Psalmum composuit, sed omnibus in posterum usque ad mundi finem futuris in hoc prospexit. Nam quotiescumque Psalmus aliquis inseribitur, In finem: aut de Christo intelligendum est, qui finis est legis ad iustitiam omni credenti, aut de nobis ipsis in quos fines saeculorum devenerunt: (Ro. 10.) aut de Ecclesia & membris ejus, quae usque ad finem saeculi duratura est. (1. Corinth. 10.) Hunc igitur Psalmum de David & de aliis peccatoribus, qui usque ad finem saeculi non deficient, nunc interpretandum suscipimus. Sed quod Psalmus iste apud Latinos, & Graecos statim semper, & immobili ordine quinquagesimus sit, non vacat mysterio: praesertim si consideremus, quod iuxta temporis ordinem, locus hic illi non conveniebat. Nam si historiae ordinem attendimus, multo prior esse debuerat quam tertius, & quam septimus: ut ex eorum inscriptionibus facile est colligere. Titulus enim tertii Psalmi sic habet. Psalmus David, cum fugeret a facie Absalon filii sui. Constat autem prius Davidem fuisse a Propheta Nathan de adulterio, & homicidio reprehensum, quam insurgeret contra illum Absalon filius ejus, ut illum regno & vita privaret. Historia etiam, quam titulus septimi Psalmi indicat, inter ipsos Absalonis adversus patrem rabidos furor contigit. Posteriora ergo cum sint haec, quam ea quae

B

Psal-



FRATRIS ALFONSI  
 A CASTRO  
 ZAMORENSIS  
 ORDINIS MINORUM  
 REGULARIS OBSERVANTIAE  
 IN PSALMUM  
 MISERERE MEI DEUS  
 SECUNDUM MAGNAM  
 MISERICORDIAM TUAM  
 HOMILIAE VIGINTIQUAE



SUPERIORUM PERMISSU  
 MATRITIS  
 Ex Typographia Blassi Romani  
 Anno M.DCC.LXXIII.

**EPISTOLA**  
**SERENISSIMO ET ILLUSTRISSIMO**  
**JOANNI TERTIO**  
 PORTUGALLÆ ET ALGARBIORUM REGI,  
 INCLYTO DOMINO GUINEÆ ET CÆTERA,  
**FRATER ALFONSUS A CASTRO**  
 ZAMORENSIS, ORDINIS MINORUM.

S. P. D.

**P**OETÆ comediarum scriptores, serenissime, atque invictissime Rex, ut populo mores suos, qui nimium varii sunt, ostenderent: consueverunt fabulam aliquam effingere, in qua variis diversisque inductis personis, sub earum nomine varios populi status, varioque eorum mores graphice describere, sic conati sunt, ut magis rem gestam videre, quam fabulam audire sibi quisque persuaderet: sicque fieret, ut sua quisque vitia, quæ prius ignorabat, audiens, agnosceret. Illic videbis parentum objurgationes nimium austeras, filiorum pertinacissimas inobedientias, fratrum discordias irreconciliabiles, dominorum severitates, servorum fallacias, Regum imperiosa mandata, populi querelas, muliercularum, heu nimium! savas blanditias, juvenum effrenatas adhesiones, & cætera id genus multa. Res quidem hæc utilis, si illa fabula audita, populus inde aliquam venaretur utilitatem, sua quisque, quibus affectus erat vitia corrigens. Raro tamen populus per hujusmodi fabulas emendatus est: immo potius contra, his auditis, ad vitia quæ forte non noverant, pelliciebantur: quoniam Poetæ non huc demum tendebant, ut emendarent, sed cum primum animos ad scribendum appulere, id sibi negotii decreverunt solum dari, populo ut placerent quas fecissent fabulas, Quapropter non tantum anxii fuerant, ut lachrymas extorquerent, & audientium animos ad poenitentiam flecterent: quam ut risum excitarent, & populo blandirentur. Quo fit, ut prophetarum scripta etiam si oracula divina non essent, & Deo auctore non fuissent edita, tanto majore intervallo omnium Poetarum comedias antecurrant, quanto magis ad salutem animæ omnibus prodesse noverant. Nihil enim mihi prodest regem imperiosum intueri, cum ego nec rex sum, nec possum esse. Nulla est mihi

utilitas, cum audio patrem severe objurgantem, & filium irreverentem: si nec filium habeo, quem cum modestia instituum, nec patrem, cui omni, qua decet, reverentia obediam. Nihil denique mihi prodesse potest, si ea, quibus infectus sum, aut infici possum, vitia quam bellissime depicta quisquam mihi ob oculos ponat, nisi etiam reprehendat: & (quod vix umquam poetam facere contigit) evidenti ratione mala esse persuadeat, ut ab illis avocet & deterreat, præsertim cum omnes à natura sumus ad vitia propensores, quam ad virtutes. At ex Prophetarum scriptis, nullus est qui profectum maximum (modo velit) capere non possit: sive justus ille sit, sive peccator. Nam peccatores ad poenitentiam præmiis aliquibus alliciunt: minis aliquibus urgent, justos in virtute roborant, & ut ad meliora se extendant, sic orantur, ut cogere videantur. Quod si hoc in omnium Prophetarum libris invenire licet, multo magis in psalmis Davidis Prophetarum omnium eximii. Quam ille suavius allicit, durius terret vehementius urget, violentius trahit, clementius sublevar, validius confirmat & stabilis, fortius dejicit, omnia denique ad virtutem & pietatem spectantia melius agit. Ex omnibus autem, quos ille condidit Psalmos, hic unus, videlicet, quinquagesimus, meritorum virtute, omnium maximus est: quum omnibus sive justis sive peccatoribus in eo solo prospexit, justos in posterum cautiore faciens, ut cum stare se putant, videant ne cadant, peccatores autem sublevans, ne videlicet ob quantacumque facinorosa, de divina misericordia diffidentes, animum suum dejiciant. Ut autem hoc melius efficeret, non effingit fabellam aliquam, non induit alienam personam: sed semetipsum in spectaculum omnibus proponit: præcipue tunc Rex, quum ille tamquam totius populi caput in reliqua illius membra insuit, & ab illo totius ferme populi



pungunt animum petinde ac illa corpus. Veræ ergo divitiarum non sunt, quæ tam inquietum animum reddunt: tamquam sitibundum, & famelicum. Hinc est, quod Christus asserit nos vocat eas *mammona iniquitatis* (Luc. 16.) Sed quare iniquitatis? quia forte illæ iniquæ sunt? Absit. *Vidit enim Deus* (ut ait Moyses Genes. 1.) *cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Dicuntur mammona iniquitatis, quia eas iniquitas sola appellat divitias: quia in sola iniquorum æstimatione divitiarum sunt. Unde colligimus aliam esse mammonam bonitatis: illæ videlicet divitiarum, quas soli iusti putant esse divitias, quales sunt bona illa superna, & nunquam peritura, virtutes omnes, quæ etiam in hoc sæculo possidentur. Veræ divitiarum sunt fides, spes, charitas, iustitia, fortitudo, temperantia, prudentia. Nam prudentiam esse sapientis divitiarum, testatus est Salomon (Prov. 14.) dicens. *Corona sapientium divitiarum eorum.* Ut autem per divitias non metalla terrena, sed prudentiam se intellexisse ostenderet, illico per contrarietatem subdidit. *Fatuitas stultorum imprudentia.* Si enim coronam sapientium terrenas divitias dicere voluissent, proculdubio fatuitatem stultorum pauperatorem potius quam imprudentiam dixisset. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam appellavit: quod sapientium divitiarum prudentiam dixerit, satis aperte innuit. Hæc sunt veræ divitiarum, quoniam animum satiant: & qui eas habet, quisque sua forte contentus vivit. Si vis cognoscere quanto meliores divitiarum sunt istæ, quam aliæ, ostendam tibi testimonio ipsius etiam avari. Nam si avarus habet servum fidelissimum, dicit, *Habeo servum, qui non habet pretium.* Credis forte illum bene saltare, aut bene pingere, aut bonam esse architecturam, aut aliud quodvis mechanicum opus egregie perficere? Nihil horum habet: sed audi interiore laudem. Nihil (inquit) est eo fidelius. Fides ergo est que non habet pretium: quia major omni pretio: melior ergo quam omnes terrene divitiarum. Qui vero virtutibus caret, etiam si omnia auri, & argenti metalla possideat, semper erit pauper: eo quod crescit semper amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. At juxta sententiam Senecæ: *dives est non qui multum habet, sed qui parum desiderat.* De hujusmodi divitibus, ait Salomon. (Prov. 15.) *Et quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper cum in multis divitiis sit.* Redemptio animæ viri divitiarum suæ: qui autem pauper est increpationem non sustinet. Quasi dives erat, sed non dives, ille qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide (Luc. 16.) sed quia non habuit misericordiam erga Lazarum mendicem, nec Deum in se habuit; quo sit, ut nihil haberet. Nam cum Deus omnia in omnibus sit: (Ephes. 1.) qui Deo caret, etiam si reliqua omnia habeat, nihil se habere convincitur perdit, quod Blaias ait. (cap. 40.) *Omnis gentes quasi nihil, sic sunt coram eo.* Erat ergo sepulchrum ille quasi dives cum nihil haberet. Lazarus autem, qui ante fores illius mendicabat ulceribus plenus, erat non pauper, sed quasi pauper, cum in multis divitiis esset: quia virtutem humilitatis & patientiæ, & Deum illarum datorem in corde suo gestabat. Verum ne error tibi obrepere posset si vile aliquid putares: subiungit de quibus divitiis loqueretur explicans. *Redemptio* (inquit) *animæ viri divitiarum suarum.* Ex quibus verbis satis aperte colligitur, peccatores non esse vere divites, sed pauperes: quoniam non sunt redemptæ animæ eorum, sed laquei diaboli captæ tenentur. Et ideo de his subdit. *Qui autem pauper est, increpationem non sustinet.* Nam qui hujusmodi divitiis ani-

mæ videlicet redemptione caret, increpationem districti iudicis sustinere non valet: de qua Psalmista postulat dicens. (Psalm. 31.) *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Alioqui pauperes non ibi increpantur à Domino, sed benedictionem æternæ hereditatis percipiunt.

Hæc igitur prima est peccatoris miseria, quæ tanto major erit, quanto magis ipse peccator dives videri fatigat, cum pauper sit. Nam cum dives putabitur, nullus miserebitur ejus. Secunda peccatoris miseria est cæcitas; quæ non minor est, quam paupertas, immo forte major: quia plura incommoda sustinet, quam illa. Nam cæcus nescit gressus dirigere, quo libuerit: si offendiculum est in via, nescit cavere, si aliquid vult secreto alicui committere, tuto id facere non potest: quoniam ignorat an ipso secreto alteri revelante, quispiam alius sit præsens. Si aliquis illum velit occidere, se ipsum defendere non valet. Facillime est ad deceptionem. Sepe ubi nullum est periculum timet. Quando latere se credit, omnibus patet. Sæpe denique habet commitem tristitiam: quod testimonio senioris Tobie probatur: qui cum cæcus esset, dicebat. (Tob. 5.) *Quale gaudium mihi esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Talis est per omnia peccator. Nescit enim ille gressus suos dirigere, quoniam ambulat per viam, quæ sibi videtur pulchra, & recta: novissima tamen illius dicunt ad mortem. Offendiculum cavere nequit: quia in uno peccato existens, non potest diu persistere, quin offendat in alio. Propter quod merito Sophonias Propheta (de peccatoribus loquens, cap. 1. ait) *Ambulant ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Ut cæci quidem: quia ambulantes, pedibus offendunt, perinde ac illi. Latere se credit: cum tamen coram multis testibus peccata committat. Nam videt illum Deus: videt angelus bonus, videt etiam angelus malus. Nec solum hi vident: sed etiam contingit sapissime, ut cum à pluribus hominibus peccata illius sciantur, ille tamen latere se putet. Quia enim videntes se non vident, se quoque non videri putat. Adversa mundi hujus, quæ tanti faciendæ non sunt, ut timeantur, hæc timet, mortem æternam: quæ cunctis formidabilibus horribilibus est, non timet. Propter quod de illis ait Sapiens. (Eccl. 8.) *Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum sacra habeant.* Habet denique peccator secum perpetuam commitem tristitiam: quoniam & si foris latari videatur, intus tamen magno merore conficitur. Quale gaudium habere potest ille, quem sua semper conscientia accusat? Vides jam quantum inter peccatorem & cæcum conveniat. Hujus autem cæcitatæ causam expressit sapiens, (Sap. 2.) cum dixit. *Malitia eorum excæcavit eos.* Et Aristoteles in ethicis ait, omnem malum esse ignorantiam, non quia semper aliquis censendus sit malus, quia ignorans: cum aliqua possit citra culpam obrepere ignorantia, sed vice versa semper aliquis dicendus erit ignorans, si fuerit malus. Voluntas enim sæpe (ut ille ait) trahit ad se iudicium rationis: ita, ut juxta voluntatis arbitrium sapissime intellectus censeat, illa bona esse iudicans, quæ voluntati placere cognoverit: illa vero mala, quæ voluntatem odisse viderit. Omnis ergo peccator cæcus est, a propria malitia excæcatus: quidam fumo superbia, alius pulvere avaritiæ, alius fletore deliciarum, excæcatus. Tertia peccatoris miseria, & non parva, est nuditas. Nudus enim, expositus est frigori & aestui: quia non habet vestes, quibus à gelu & ardore, aqua & vento protegi possit. Nudus verecundiam patitur, Nam Adam

cum se post peccatum in Paradiso abscederet: Deo illum quærenti dixit (Gen. 3.) *Timui, eo quod nudus essem.* Quo loco (sicut alibi in sacris literis sæpe) timor pro verecundia subrogatus est. Quanta denique sit nuditatis verecundia, Beatus Paulus testatur: (Rom. 8) qui eam inter magna enumerat incommoda, dicens. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an famines? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Vides inter quæ mala recensuit etiam nuditatem: ut eam magnam esse miseriam vel hoc argumento agnoscere valeas? Miser ergo hac ratione est peccator: quod nudus est.

Nam peccator omni tentationi expositus est, quemadmodum nudus frigori & aestui: quoniam gratia Dei, quæ illum ab omni tentatione defendere posset, caret. Charitas enim sive gratia vestis est, quæ peccata præterita ne videantur, operit, & à futuris ne laedant protegit. Jam vides quanta sit peccatoris miseria, qui pauper est cæcus & nudus. An his aliquid addi potest? Certe si cum his omnibus salute fruere, aliquid felicitatis haberet: sed ut miserimus esset peccator, præter hæc omnia, est etiam tot vulneribus confectus, ut de illo dicat Elaias, cap. 1. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Intellectus namque hebetatur: memoria non continet, voluntas tepescit, concupiscibilis effrenatur, irascibilis timidior efficitur: nulla est denique in eo sanitas. Talis est peccator, qualis Job tentatus, & à demone percussus describitur. Nihil enim prohibet bonum virum figuram gerere peccatorum: cum alibi sæpe vice versa ea quæ male gesta sunt, figuram bonorum habeant. Nam Bethsabee, quæ se in balneo lavans placuit Davidi (interpretantibus Hieronymo Gregorio Casiodoro) Ecclesiæ significat, quæ lavacro baptismatis purificata placuit Christo. Quare ergo Job quamlibet justus fuerit, non poterit figuram gerere peccatorum? Job ergo (ut illius historia testatur, cap. 2.) percussus est ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis, qui testa saniem radebat sedens in sterquilino. Similis per omnia est huic imagini peccator. In sterquilino sedet, qui rebus mundi hujus afficitur. Nam si omnia quæ in hoc mundo sunt, juxta Pauli æstimationem, sunt stercora: (Philip. 3.) quid erit mundus ipse nisi sterquilinum quoddam? In sterquilino ergo sedet, qui in mundo figit affectum. Percussus est etiam ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis, quia nulla est animæ portio, aut vis, quæ à peccato læsa non sit. Sanies undique fluit: quia corruptus affectus, ad omnes corporis sensus derivatur. Sed testa saniem radit: quia ab hujusmodi malis sola Christi morte se credit liberandum. Testa hæc Christi corpus designat: quoniam testa cum ex luto fiat, igne tamen decocta arefcit, & durior fit. Sic Christi caro igne passionis decocta aruit, quemadmodum ipsemet ait. (Psalm. 21.) *Aruit tanquam testa virtus mea.* Sed inde durior evasit, quoniam resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. (Rom. 6.) Hac testa saniem peccatorum radit, cum per sola passionis Christi merita se putat esse salvandum. Hac testa saniem radebat qui dicebat. (Galat. 6.) *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Ecce miseriam peccatoris conditionem, quoniam pauper est, cæcus & nudus: insuper percussus ulcere pessimo. Propter quod David in alio quodam Psalmo appellavit peccatum quemdam miseriarum lacum. Nam agnoscens beneficium, quod Deus illi contulit cum illum à peccato liberavit, ait. (Psalm. 35.)

*Eduxit me de lacu miseria.* Cum ergo tanto sit peccator barathro miseriæ immerfus, nec aliunde illi pateat remedium, ut ab illa sublevari valeat, reliquam est, ut ad Deum converteretur, & cum David dicat. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Ego enim peccator sum percussus ulcere pessimo: sanies undique fluit: malæ scilicet operationis consuetudo: tu testa es, qui radere vales hanc saniem, qui destruere potes peccatum, obviare malæ consuetudini. Miserere ergo mei tu, qui solus potes misericordiam præstare. Rade saniem tu, qui solus tollis peccata mundi: ut sic sanitati restitutus, tibi mente & corpore servire valeam, donante Jesu Christo filio tuo, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA III.

*Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

**A**udistis peccatoris miseriam, quæ illum ad divinam implorandam misericordiam compulit. Nunc jam ipsum peccatorem misericordiam implorantem audite. *Miserere* (idquit) *mei Deus.* Reus in causam ductus considerat iudicem suum esse adeo sapientem, ut nullus illi imponere valeat: adeo justum & rectum, ut à vera iustitia vel larum pilum discedere non possit: adeo denique scit illum esse potentem, ut voluntati illius nemo obistere, queat: cum ergo nullum remedium præter divinam misericordiam sibi relictum agnoscat: ad eam tanquam ad Asylum confugit dicens. *Miserere mei Deus.* Ac si diceret: Scio quid feci, quæ & quales poenæ meis criminibus debeantur non ignoro. Scio quod effugere non possum. Si enim voluero peccatum meum abscondere, scio quod non omnia: & quod nihil est tam occultum, quod non sit nudum & apertum coram oculis tuis. Si voluero tibi resistere: scio quod es omnipotens, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. (Hest. 13.) Si voluero effugere, scio quod ubique es. (Psalm. 131.) *Quo ergo ibo à Spiritu furoris tui: & quo à facie tuâ iustitia fugiam nisi ad misericordiam tuam? Miserere ergo mei Deus.* Tu quis es? Dico nomen tuum, forte si personam agnovero, citius ad misericordiam fleat. Timeo nomen meum dicere, & erubescere manifestare personam: quia quanto ante culpam tibi familiarior fui, tanto magis confundor post culpam agnosci. Et quo plura majoraque à te suscepisti beneficia, eo magis veror de ingratitude argui. Intellexisti, ut puto, quam ob causam David misericordiam petens, non dixerit: *Miserere David,* sicut alias dixit: (Psalm. 131.) *Memento Domine David:* Aut sicut alias blandiens dixit. (Psalm. 115.) *Filius ancillæ tuæ aut puero tuo:* (Psalm. 68.) quia hæc nomina familiaritatis sunt, & ideo magis occasione cumulandi culpam quam minuendi tribuerent. Dicat hic peccator quanta cum humilitate & quanta cum verecundia Deum precari debeat, ita videlicet, ut culpam suam agnoscat, præ verecundia non audeat apparere coram Deo: sicut de publicano illo in templo orante apud Lucam, cap. 18: legitur, quod non audebat oculos ad cælum levare, prout etiam nunc facit David, qui non audet nomen suum prodere: sed tantum dicit, *Miserere mei Deus.* Miserere quidem: quia nisi tu misereris, perii. Nolo intrare tecum in iudicium: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. (Psalm. 142.) Quanto magis ergo peccator maximus peto, ut vel paululum rigorem iustitiæ



mitiges: quoniam hoc peccata miseria exigit, ne peccator districte iudicatus, pereat. Sic enim Moyses fecisse legitur: (*Exod. 32.*) qui videns vitulum, quem filii Israel, ut adorarent, fecerant, iratus est valde: projecitque de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Qua re populo peccante Moyses tabulas frangit? Est ne forte peractae idololatrie antidotum tabularum confectio? Quasi tabulis fractis, illi statim respiscere debuissent: & peccatum cum fractione tabularum delendum esset. Cur igitur hæc fecerit, merito perferendum est: præsertim cum non sine causa illum fecisse credimus. Ut populo parceret, tabulas eum fregisse suspicor: quoniam nisi tabulas fregisset, populo non peperisset. Nam lex dicit. (*Exod. 32.*) *Qui immolat diis, occiditur: præterquam Domino soli.* Noluit igitur Moyses cum tabulis (hoc est cum rigore legis) ad populum delinquentem venire: sed tabulas fregit, legem evacuavit, ut populo delinquenti parcere potuisset. Parum certe profuisset Deam oratione sua placare, si ipse legis rigore utens, eos occidisset. Ad hunc modum cum prælatus aliquis, instigante pietate, non iuxta legis rigorem peccantem subditum punit, sed illi misereatur, timens ne ex atroci punitione exacerbatus in pejus ruat: tunc tabulas frangit, & legis auctoritatem relinquit. Hoc autem nullus sane mentis dicet esse peccatum, si instigante charitate, id factum fuerit: cum videlicet remissione illa, prælatus spirituali subditi salutem prospiciat. Pastor enim non tam curare debet legis & statutorum observantiam, quam ovium suarum ædificationem & profectum. Si timet ex observantia legis subditum deteriorem fieri, & sperat, per mansuetudinem & misericordiam se lucraturum subditum, rigorem legis eum flectere oportet: ut subditi animam, pro qua Deus mori dignatus est, laetetur. Nam Moyses, pro eo quod tabulas fregit, nūquam legitur à Domino reprehensus. Deus etiam hoc idem quotidie facit: quoniam ut peccatoris misereatur legis tabulas frangit, peccatorem non iuxta legis rigorem iudicans. Omnis enim peccator quasi idololatra æstimatur: quoniam creaturis quasi quibusdam idolis deservit: illas super omnia amat: in illis spem suam figit: & ob hoc dignus morte censendus. At Deus pietissimus, non vult mortem peccatoris, (*Ezech. 18.*) sed magis ut convertatur à via sua mala, & vivat. Misericordia Dei obstat, ne peccator continuo post commissum aliquod scelus, sit morte consumptus. Quando ergo Deus peccatorem ad penitentiam expectat, (*Thre. 3.*) ut respiciat à laqueis diaboli, à quo captivus tenetur, quando alicui, quando ad penitentiam recipit, (*2. Tim. 2.*) tunc tabulas frangit: quoniam non secundum legis rigorem illum iudicat. Nam si iudicasset ille, perisset iste.

Verum admonitione carere non debet, quæ legis tabulæ, ad radicem montis fractæ sunt, quoniam & hoc non vacat mysterio. Per hoc enim edocemur, quæ morte Christi intercedente, rigor legis fuerit mitigatus, immo, ut verius dixerim, grave jugum legis, quod patres nostri portare non potuerunt, fuit omnino sublatum. (*Act. 15.*) Mons ille, in cuius radice tabulæ fractæ sunt, Christum figurat, iuxta Elaiæ vaticinium, cap. 10. est præparatus mons domus domini in vertice montium, & elevatus super colles: quoniam Christus etiam ut homo, & homines & angelos omnes in virtute superat. Huius montis pes, aut radix, Christi corpus est. Sicut enim caput in eo, iuxta Pauli sententiam (*1. Cor. 11.*) est divinitas: quia cæteris illius substantiis præminet: ita etiam corpus illius, pes illius non immerito dicitur: quia infimum trium, quas

ille complectitur substantias. In pede aut radice montis tabulæ fractæ sunt: quia Christo patiente, in corpore illius rigor legis fractus est. Nonne fractus est rigor legis, cum pendens in cruce Christus dixit latroni: (*Luc. 23.*) *hodie mecum eris in paradiso?* Tunc enim fractæ sunt legis tabulæ, cum portæ paradisi, quas nobis peccatum clauferat, aperiri cœperunt. In radice ergo montis, tabulæ fractæ sunt: quoniam meritis passionis Christi habemus, quod Deus, non iuxta legis rigorem nos iudicet: sed potius, rigorem mitigans, misereatur nostri. Populo peccante, legis tabulæ franguntur: quia opus est legis duritiam frangi, ut peccatori misericordia præstari possit. Et ob hanc causam David qui se peccasse cognoscit, timens ad gnomonem legis examinari, petit ut tabulæ frangantur, ut rigor legis mitigeur, dicens: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Magnam misericordiam petit: quia magnam se pati miseriam agnoscit. Nam magna miseria, magna indiget misericordia, quæ illam sublevare valeat. David itaque qui se graviter peccasse agnoscit, magnam implorat misericordiam, quæ tam alto vulnere mederi possit. Verum percontabitur aliquis & merito, an sit aliqua misericordia Dei parva, præsertim cum de illa dicat sapiens. (*Eccle. 2.*) *Secundum magnitudinem ipsius, sic & misericordia ipsius cum ipso est.* Deus autem cum sit infinitus: cuius magnitudinis nullus est finis, consequens est, ut misericordia illius etiam sit infinita. Si infinita est, qui fieri potest, ut parva sit? Si nulla est in Deo misericordia parva, cur ergo David petens à Deo ut sui misereatur, non qualemcumque misericordiam petit, sed magnam? *Secundum* (inquit) *magnam misericordiam tuam.* Quasi sit aliqua parva Dei misericordia. Illuminet Deus intellectum nostrum, ut aliquid Deo dignum dicamus. Deus, cum sit infinitus & summe simplex, quicquid habet, & in se continet, oportet ut infinitum etiam sit, perinde ac ipse. Nam si aliquid contineret in se quod infinitum non esset, illud Deo idem non esset, sed ab eo longe diversum. At si aliquid in Deo esset, quod Deus non esset, Deus, summe simplex non esset. Est autem Deus summe simplex. Omne ergo quod in Deo est, Deus est, & per consequens, eadem mensura, qua ille, metiendum. Deus autem infinitus est: omne ergo quod in Deo est, infinitum est, ut ille infinitus est. Infinita ergo est illius misericordia, infinita illius iustitia, infinitæ omnes reliquæ virtutes, quas illi sacra tribuit scriptura. Verum & si illius misericordia ad se relata, infinita dicatur, & sit, ad opera tamen relata, talem suscipit magnitudinis nomenclaturam, qualem opus ipsum à misericordia Dei procedens. Quando ergo Deus magnum remittit peccatum, magnam impendisse misericordiam dicitur: quando vero parvum condonat peccatum, parvam. David ergo magna se indigere misericordia conspicit: quoniam magnum crimen se commississe cognoscit. Quapropter merito misericordiam implorans, ait: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Desperare utique potuisset, nisi magnam esse tuam misericordiam agnovisset. At cum probe sciam, tuam misericordiam majorem esse quam quævis hominis iniquitas quamlibet magna: ideo sic in te uno confido, ut quamvis peccatum meum, ob multas causas gravissimum esse sciam, nunquam animum meum despondere possim. *Sapientia vincit malitiam: (cap. 7.)* non autem victrix, sed victa merito censetur, si aliquid esset peccatum, cui parcere, aut non posset, aut noller. Cum ergo omnem malitiam sapientia vincat, consequens est, ut nullum sit peccatum, cui parcere non

pos-

possit. Magna ergo Dei misericordia, quæ omni peccato quamlibet magno subvenire potest. Magna quippe est Dei misericordia iuxta omnes magnitudinis species. Est enim longa, lata, crassa, sive profunda. Lata est iis, qui per viam perditionis, quæ lata est, ambulat. *Lata siquidem* (ut Christus servator noster ait: *Matth. 1.*) *est via, quæ ducit ad perditionem.* Misericordia ergo, quam Deus, iis qui in hoc mundo sunt, exhibet, lata est: quoniam misericordia Dei plena est terra. (*Psal. 32.*) Longa est misericordia erga illos qui sunt in cælo, quibus etiam Deus misericordiam præstat: cum gloriam quam illis non debet, tribuit. Quæ misericordia longa esse dicitur, propter longissimam beatitudinis durationem, quæ finem nunquam est habitura. Profunda denique merito dicitur misericordia divina: propterea quod usque ad inferorum profundam se extendit. Nam illi etiam divinam in se experiuntur misericordiam. Verum & si de iis, qui in mundo hoc vivunt, apertissime constat eos quotidie divinam in se experiiri misericordiam, de illis tamen qui sunt in cælo aut in inferno, forsitan aliquis merito dubitabit. Nam cum gloria sit debita tamquam merces mercenario, qui sit, ut sit misericordia, cum iusto bene operanti gloria tribuitur? *Dignus est mercenarius* (ait Salvator noster) (*Luc. 10.*) *mercede sua.* Ubi autem dignitas est, iustitiam ibi adesse convincitur. Præterea, præmio aliquem donare, ad iustitiam spectat, non autem ad misericordiam. Iustitia ergo sit, cum iusto gloria tribuitur: quo fit, ut nullus illic sit misericordiae locus. Fatemur quidem iusto debitam esse gloriam, quia promissam: quod si promissa non esset, non illi deberetur. Non enim adeo bona sunt hominum quamlibet iustorum opera, ut gloria æterna digna censerentur: Paulus attestante, qui ait. *Non sunt condignæ passionis huius sæculi, ad futuram gloriam, quam revelabitur, in nobis.* Sed quod à se inæquale erat, promissione & pacto interveniente, factum est æquale. Et ex hac divina promissione ortum est meritum nostrum: quod Theologis scholasticis placuit appellare meritum de condigno. Sed hæc fuit immensa Dei erga nos misericordia, quod gloriam sempiternam, quæ omnia nostra bona opera multis calculis antecellit, usque ad nostrorum operum valorem depressit: cum illam pro nostrorum laborum mercede se daturum spondit. Et hoc est quod nostri Theologi dicunt, præmium videlicet, quod Deus nostris laboribus tribuit excedere semper nostrorum laborum dignitatem. Dignitatem quidem naturalem, quam videlicet illis tribuit natura, non quam, gratia Dei interveniente, susceperunt. In hoc ergo divina relucet misericordia, quod gloriam sempiternam iustitia tribuit, quam per nativum suorum operum valorem consequi non possent. Et ad eundem modum explicari potest misericordia, quam Deus impendit iis, qui sunt in inferno. Nam & si illos secundum iustitiam puniat, non tamen sic punit, ut suam illis omnino subtrahat misericordiam. Punit enim eos infra suorum scelerum merita, non tantas ab illis exigens pœnas, quantas eorum peccata merebantur: sicque fit ut iudicium divinum, iuxta sententiam Jacobi Apostoli, (*cap. 2.*) comite semper misericordia, sit superexaltatum. Hæc est ergo illa largissima Dei misericordia, quæ semper, cum præmio affectu aliquem, ultra meritum donat: cum autem punit, citra. Nam Deus, ut ait Elaias (*cap. 40.*) *mensus est pugillo aquas: & cælos palmo ponderavit.* Cælorum nomine, iusti designantur, aut gloria, quæ in cælis habetur. Aquarum vero nomine peccatores qui labuntur & mollescent, aut pœnæ, quæ illos confringunt.

Cælos ergo palmo ponderat: quia cum iustos præmio donat, ultra illorum merita se dilatat. Aquas pugillo metitur: quia peccatores minus quam illorum merita exigunt, punit. In palmo enim manus plus solito dilatur & extenditur. In pugillo vero contra, manus contrahitur, & brevior fit. Ecce jam patet immensa misericordiae divinæ magnitudo, quæ tam lata est, ut omnibus in hoc mundo degentibus, qui latam viam habent, succurrat. Tam longa, ut finem nesciat: quoniam in sæculum sæculi, beatos sua visione satiat. Tam denique profunda, ut ipsam etiam inferorum profunditatem pertingat: illos minus, quam eorum merita exigebant, puniens. Deinde, ut hæc divinæ misericordiae magnitudo clarius innotescat: doceamus illam esse magnam aliunde, ex locorum scilicet varietate, qui sex esse dicuntur: sursum & deorsum, ante & retro: laevorsum & dextrosrum. Hi triplici quantitatis mensioni respondent: cuilibet mensioni duos tribuendo locos. Nam sursum & deorsum, respondent crassitudini sive profunditati. Ante & retro, longitudini. Laevorsum & dextrosrum, latitudini. Misericordia ergo Dei, inde magna esse convincitur: quia undique nos circumdat. Superne nos protegit, contra spiritualia nequitia in cælestibus, id est contra spiritualium nequitiarum tela, quæ in nos spiritus illi mali, qui è cælo deciderunt, vibrant. (*Eph. 6.*) Inferius, contra versutias callidissimi serpentis, qui nostris calcaneis perpetuo insidiatur. (*Gen. 3.*) A fronte nos protegit: contra imminetia peccata nos muniens. A tergo nos defendit, à præteritis peccatis, ne videlicet iterum redeuntia nos incautos opprimant. A dextris nos protegit, ne prosperis superbiamus. A sinistris denique nos defendit: ne animum nostrum quævis adversitas dejicere valeat. Magnam esse divinam misericordiam satis aperte (ut æstimo) jam convincimus. Secundum hanc ergo magnam misericordiam, peccator petit, ut Deus illius misereatur, dicens: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Ac si diceret. Præterita peccata condona, & à futuris custodi, & sic tuæ misericordiae longitudinem ostendes. A dextris & sinistris protege: ne prosper rerum successus me fallat, aut adversus dejiciat, ut vel sic, tuæ misericordiae latitudinem experiat. Ut autem tuæ benignissimæ misericordiae altitudo in meipso reluceat, superne contra spirituales dæmonis nequitias me protege: ut te protegentem, & miserante, aeternam valeam consequi felicitatem, in qua perpetuo experiar tuam misericordiam, quam nobis præstare digneris pro merita Jesu Christi filii tui, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

## HOMILIA IV.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Peccatum David non solum fuit magnum, verum etiam multiplex. Nam fornicatus est: eo quod ad non suam accessit, quia vero alienæ adhæsit uxori, adulterium commississe censetur. Homicidam fuisse, testatur cædes Uriæ innocentis: ejusdem Uriæ fidelitatis simul & confidentia convincunt David fuisse proditorem. Qui ergo prius pro peccati magnitudine, magnam petivit misericordiam, nunc etiam pro peccati multitudine, miserationem petivit. Cognoscebat siquidem David peccata sua fuisse multa: qui bus delendis non satis esse putabat unam mi-



miseriordiam: ideo multitudinem miserationum petit: quæ multis peccatis subvenire possit, dicens. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Vel (ut translatio Hieronymi juxta hebraicam veritatem habet) Dele iniquitates meas. Noverat quippe David multas esse Dei miseriordias, qui in alio quodam Psalmo (118.) ait. *Miseriordia tuae multe Domine.* Quas quoniam in se expertus erat, vicem pro illis Deo referre cupiens, quasi quodam gratitudinis symbolo ait. (*Psal. 88.*) *Miseriordias Domini, in æternum cantabo.* Multas dixit esse Dei miseriordias: quoniam etiam unica sit tantum Dei misericors & benigna voluntas, in nobis quotidie operatur: ob quam causam, multas esse dicimus Dei miseriordias, nomen causæ, pro nomine effectus. Tanta est miseriordiarum Domini multitudo, ut illis enarrandis, homo non sufficiat: etiam si omnia ejus membra verterentur in linguas. Nihil est enim à summo usque deorsum, in quo non resplendat divina miseriordia: quoniam illa super omnes creaturas diffusa est, quemadmodum idem Propheta in alio Psalmo 144. ait. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Universis quidem, quia *solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* (*Mat. 6.*) Super omnia opera sua effudit suam miseriordiam, cum totum hunc visibilem mundum condidit. Condens siquidem creaturas, tribuit illis ut essent, quod nec illis debebat, nec à seipsis ullo pacto habere poterant. Quia in re, aperta est Dei miseriordia, propter quod, postquam dixerat, miserationes Dei esse diffusas super omnia opera ejus, statim subjunxit. *Constituant tibi Domine omnia opera tua.* Ac si diceret: Omnia opera tua te laudare tenentur, quia tu in omnia illa, tuam effudisti miseriordiam. Deinde super omnia opera sua, effudit suam miseriordiam: quia omnia opera sua testantur miseriordiam quam homini exhibuit: cum illa omnia, non sibi, sed homini condidit. Nam si sibi condidisset, potentia ejus, aut sapientia laudari potuisset: nunc vero, quoniam hæc omnia nobis condidit, immensa illius manifestatur miseriordia. Nobis siquidem germinat terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum. Nobis producant aquæ pisces, & reptile animæ viventis. Nobis spirant ventus, fluunt amnes, scaturient fontes, flagrant lacus, æstuant maria. Nobis voluntur in gyrum cæli: lucet sol per diem, & luna cum stellis per noctem. Nobis pendulæ nubes umbram faciunt, & agros irrigant: ut aquis receptis, nobis inde fructus proferant. Et ut nihil sit, quod nobis non dederit divina miseriordia, angelos etiam, qui multo dignioris naturæ quam nos sunt, nobis etiam dedit: sicut Paulus in ea, quæ ad Hebræos est epistola, de illis loquens, docet, ita inquit, *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Quicquid ergo homo habet (habet autem omnia, quæ quædam habuerit in corde suo Deum) totum hoc miseriordiam Dei imputet, oportet. Quod homo vivit, quod comedit, quod dormit, quod vigilat, quod recte valet, quod ægrotat, quod prosperis fovetur, quod adversis dejicitur, quod in adversis consolationem recipit, quod illa patienter tolerat, quod ab adversis eripitur, hoc siquidem totum miseriordiam Dei tribuere debet: quia totum à divina miseriordia procedit. Non enim minus misericors est Deus cum adversa mittit, quam cum prospera: sicut non minus misericors est chirurgus, cum ligat, se-

cat, aut urit, quam cum oleo ungit, aut aliis lenioribus fomentis medetur. Nam hæc ipsa mala frequenter mittuntur à miserante Deo, ut vel nos purget à sceleribus commissis, vel deterreat à committendis, vel ut virtutis exercendæ materiam subministrant. Non ne miseriorditer agit pater cum filium corripit? Sic Deus tamquam benignus pater miseriorditer agit, cum castigat eum quem diligit, & corripit omnem filium quem recipit. (*Heb. 12.*) Sic enim ipsemet testatur in Psalmo 88. dicens. *Si justitias meas prophaverint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miseriordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Sive ergo Deus prospera mittat, sive adversa, gratias illis pro omnibus reddamus: quia hæc & illa nobis confert, semper nostris commodis consulens. Hæc enim, ut arbitror, est causa, propter quam Job ait. (*cap. 2.*) *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* Quia videlicet sciebat Job, æque in nostram utilitatem Deum præstare mala ac bona. Sed post has omnes miseriordias, succedit alia omnium maxima, hominis videlicet jam creati reparatio, atque redemptio. Nam hoc multo mirabilius est, quam condidisse hominem, illique totam hanc mundi fabricam subjecisse, oves, scilicet, & boves universas, insuper pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. (*Plas. 8.*) Et hoc quisquis religiosa mente consideraverit, certe non dubitabit esse verum. Nonne multo mirabilius est, Deum esse factum hominem, quam angelos esse conditos à Deo? An non magis stupendum, Deum involutum pannis, vagire in præsepio, quam illum regnare in cælo quod condidit? An non magis mirandum Deum sitire & esurire, quam illum torrente voluptatis suæ inebriare alios, & ex abundantia sua dare cibos omni carni? Hoc certe mysterium, superat omnem intellectum, non solum humanum, sed etiam angelicum; propter quam causam angeli, Deo ex utero Virginis nato, vel uti in facto omnium maxime stupendo, canunt gloriam in altissimis Deo: (*Luc. 2.*) quia videlicet videbant infimam humilitatem ejus, cujus agnoscebant excelsissimam sublimitatem. Conditi mundi rationem vident & intelligunt impij demones: insaturati mundi consilium latant eos, sicque factum est, ut ars artem falleret: ars videlicet miseriordiam, artem malitiæ. Hæc est illa effusissima Dei miseriordia, quam David brevi, compendioso tamen encomio prædicat, dicens. (*Psal. 26.*) *Apud Dominum miseriordia, & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.* Nam totum miseriordiam suam fontem Deus aperuit, & omnes suæ bonitatis divitias nobis ostendit, cum factus homo, pro hominibus mori dignatus est. Sed præter hanc miseriordiarum numerofam multitudinem, quam omnibus hominibus sive justis, sive peccatoribus impendit, sunt adhuc quedam alie speciales miseriordiam, quas Deus circa animam peccatricem quotidie exercet: quibus recensendis, hoc à altero proximo sermone incumbemus. Prima ergo miseriordia est, quod à multis peccatis, in quæ prolabi potuerat, peccatorem custodivit. Prima, inquam, non omnium, sed hærum, quas nunc enarrare proponimus. Certum enim est, quod sicut in multis cecidit peccator: ita etiam in multo plura cadere potuerat, nisi omnipotentis Dei pietas immensa conservasset. Ex uno peccato devenitur ad aliud, & unum peccatum impellit, ad alterum, & hoc ad aliud sine fine: nisi Dei miseriordia finem nostris peccatis imponat.

nat. Quemadmodum lapide in aquis projecto, exciatur quidam fluctus: qui simul, ut exortus est, mox alterum exciatur, post quem alius oritur, & ex hoc alius iterum procedit, & sic in immensum sine fine, quousque fluctus in tetram vel petram quampiam impingant, quæ fluctuum multiplicationi obstat: ne videlicet fluctus ultra progrediantur. Sic uno peccato (semel commisso, ex eo oritur aliud, velut fluctus ex fluctu: ibique hæc fluctuatio in immensum, nisi divina miseriordia hujusmodi peccatis se obiciat, ut ea impediatur. Qui enim avaritiæ deservit, si aliquid non potest pecunias; quas immoderate cupit, habere, desiderii impotens, ad rapinam festinat: ut vero hanc occultet, mendacio & perjurio se tueatur. Nam (ut ait Poeta quidam) Fallacia alia, aliam trudit. Hoc autem in David factum, quod nunc in præsentibus Psalmo deplorat, experiri licet. Quia enim oculis suis non prohibuit illicita conspiciere, & oculos scandalizantes noluit abscondere, adulterium commisit. Ne autem in eo crimine deprehenderetur, homicidium perpetrare non erubuit: etiam usque ad conditionis notam. Hinc est quod Propheta Oseas, peccata Israelitici populi enarrans, (*cap. 7.*) ait. *Maledictum & mendacium, & perjurium, & furtum inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Sanguis sanguinem tangit, cum peccatum unum, ad peccatum aliud impellit. Et hoc proventit ex illa miserrima peccatoris servitute, in quam cum semel peccavit, se ipsum lubens conjecit. *Qui facit, (inquit veritas) (Joan. 8.) peccatum, servus est peccati.* Unde fit, ut quotidianas usus, nova addens peccata persequatur: & reatus sui debitum, quotidie augeat. Et inde est illa divinæ miseriordiam promissio, quam habemus in Psalmo 71. *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* Quia videlicet divina miseriordia nos protegit, ne has iniquissimas peccati usuras demoni persequamur: eum nos à peccatis multis, in quæ cadere poteramus, custodit. Fateor quidem, & pleno (ut ajunt) ore fatebor, quod nisi dominus adjuvisset peccatorem, paullominus cecidisset in omne peccatum anima illius. Quicquid enim malorum accidit cuivis alteri homini, illi etiam accedere poterat, nisi illum divina protexisset miseriordia. Si ergo non est adulter, non perjurus, non homicida, non sacrilegus, quemadmodum sunt (proh dolor) nimium multi, der gratias Deo, & hoc totum illius miseriordiam referat acceptum: quoniam hæc omnia erat, facturus nisi illum divina miseriordia protexisset. Non enim pharisæus ille apud Lucam ob hoc reprehensus est, quod gratias redderet Deo, quia eum à pluribus custodiverat peccatis, sed quia superbe id faciebat, publicanum despiciens. (*Luc. 18.*) Tu ergo, si rectis consulis, citra aliorum despectum, quos in multa peccata lapsos esse conspicias, da gratias Deo, quia te à similibus custodivit, credens te similiter lapsurum, nisi te divina miseriordia conservasset. Physionomus quidam Socrate inspecto censuit, illum esse hominem avidum luxus, & libidinis effrenatæ. At discipuli (quibus probe erat explorata Socratis incredibilis temperantia) irridebant hominem, simulque indignabantur. Socrates vero discipulos coercens, Physionomo applausit, dicens. Rem divinasti: quoniam hæc omnia eram, nisi philosophia me docuisset naturæ repugnare, & ab his abstinere. Sapienter quidem hæc Socrates: non tamen christiane. Ideo rectius mihi dixisse videtur beatus Francisus, meus & omnium fratrum minorum pater: qui quod Socrates tribuit philosophiæ, ille tribuit miseriordiam divinæ. Quam enim socius ejus (nisi fallit memoria) Leo vocatus ex mandato

ejusdem patris, multis eum convitiis afflicisset: fornicatorem, adulterum, furem, homicidam, blasphemum, aliaque id genus appellans, patientissime tulit, ac semetipsum ob hæc omnia deploravit. Deinde vero eum focus ab eo perquireret, cur illum compulsiorem, tot, tantaque mendacia dicere in virum innocenter, cui nihil horum conveniret: respondit. Nihil mentitus es: quoniam hæc omnia eram, & multo plura: nisi me divina miseriordia ab his malis servasset immunem. Secunda miseriordia est, quod pro peccato jam commisso, pœnas meritas non statim exigit, sed illum expectat ad penitentiam. Sic enim ipse per Ezechielem Prophetam (*cap. 18.*) ait. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat?* Magna est hæc miseriordia, & in qua magis divina elucet bonitas. Propter quod, ut ait Apostolus, (*Rom. 9.*) dicit scriptura Pharaoni. *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Ac si diceret. Non te feci malum: sed excitavi. Malus enim eras, sed quasi sopitus: ego autem multis factis miraculis, excitavi te in eandem malitiam, hoc autem, ut ostenderem in te virtutem meam. In Pharaone ostendit Deus suam virtutem, cum illum totiens peccantem miseriorditer toleravit. Magna certe est hæc miseriordia, quam nec angelis peccantibus, nec primo homini præstitit: quoniam peccantem Luciferum non expectavit, sed statim cælo dejecit: nec Adam peccantem sustinuit, sed illico à paradiso relegavit. Postquam vero primus homo peccavit: ne tota humani generis massa propter peccatum illius periret: Deus nostri miseratus, ut nostræ luctuosæ perditioni subveniret, decrevit in carne humana pro nostris peccatis mortem subire. Quia igitur Deo, cui omnia sunt præsentia, agnus ille sine macula jam ab origine mundi occisus erat, ideo ex tunc propter merita hujus agni jam occisi, dignatus est Deus hanc miseriordiam hominibus præstare: ut cum peccaverint, non statim eos pœnas debitas solvere cogat, sed ad penitentiam expectet. Sic enim primum post Adam peccatorem, videlicet Cain expectavit, quem post fratris invidiam, post homicidium, post proditorem, post impietatem, denique, quia credidit peccatum suum occultari Deo, & Dei miseriordiam superare ab ejus iniquitate, illico punire noluit, dans illi tempus ad penitentiam. Ideo enim multi censent illum à clementissimo Deo usque ad septem generationes fuisse dilatum, ut saltem malis ipsis, & longæ vitæ morore compulsus, penitentiam ageret, & veniam promereretur. Cur Deus non expectavit Adam, Cain autem expectavit ut penitentiam ageret? Quia inter patris & filii peccatum, interjecta est agni innocentis mors, hoc est, Christi benedicti passio, quam Deus post Adæ peccatum subire decrevit: & propter hujus meritum, hanc consequutus est miseriordiam Cain, ut ad penitentiam expectaretur. Sic etiam cum heu nimium multis peccatoribus postea Deus agit, & nunc quotidie agit: qui (ut Sapiens ait *cap. 2.*) *miseretur omnium:* quia omnia potest, & dissimulat peccata hominum, propter penitentiam. Civitatem illam Hierosolimam, quæ tot, tantaque mala in Christum innocentem machinaria est, non statim evertit: sed post annos fere quadraginta, à morte Christi, Romanorum iræ tradidit illam Deus. Non ob aliam causam supplicium differens, quam quod misericos est, qui illorum mortem non volebat, sed magis ut converterentur, & viverent. Et ob hanc causam, videns civitatem plorat, ut per fletum, viscerata suæ miseriordiam ostenderet. Non ob aliam ergo causam tibi postquam peccasti,